



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De impositione nominis Iesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

IV.

De impositione nominis Iesu.

I. **A** Eternus Pater, qui solus nouerat filij sui incarnandi sublimitatem, finem, officium, ab æterno præfinit, & imposuit illi nomen conuenientissimum & diuinissimum Iesus, quod complecteretur 1. omnes diuinas perfectiones illi secum communes, potentiam, sapientiam, bonitatem, sanctitatem, misericordiam, sine quibus non esset potēs ad saluandum. 2. Omnes omnium charismatum & virtutum prerogatiuas, cum de plenitudine eius omnes saluandi debeant participare. 3. Omnia officia ipsi, ceu Saluatori mundi, obeunda, vr Magistri, medici, patris, iudicis, aduocati, pastoris, protectoris. 4. Omnia beneficia, per ipsum singulis saluandis conferenda, vr sunt remissio peccatorum, curatio languorum, victoria tentationum, communicatio omnium donorum gratiæ, donum perseuerantiæ, collatio inæstimabilium bonorum gloriæ: & quidem ex immenso salutis & perfectionis nostræ desiderio, vr crebra huius diuinissimi nominis recordatione, & inuocatione ad vnicum & verum mediatorem & Saluatorem nostrum,

in

In quo est salus, vita & resurrectio nostra, adorandum, amandum, & glorificandum, imitandumque identidem accenderemur. Gratitude, amor, deuota vsurpatio nominis Iesu ad pios predictos affectus adorationis, gratitudinis, amoris, imitationis frequentandos.

II. Voluit idem æternus Pater hoc excellentissimum nomen Iesus à se ab æterno impositum, ab Archangelo Gabriele B. Virgini & Iosepho prænuntiatum, filio suo in circumcissione ab immaculatissima Virgine Matre inditum mundo promulgari, 1. Ut eximiam humilitatem eius, qui non solum in simili-

Phil. 2.
rudinem hominum factus, & habitu inuentus, ut homo, sed etiam in similitudinem peccati fieri, & peccator circumcissione indi-

Rom. 8.
gens apparere hominibus dignatus est, eximia huius sublimissimi nominis gloria remuneraret. 2. Ut eum redemptionis nostræ opus modo difficillimo, & perfectissimo per acerbissimam passionem, sanguinis effusionem, mortemq; ipsam, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, consummaturum præmonstraret. 3.

Ut nos ad eius imitationem in amore mortificationis & crucis prouocaret. 4.

Ut Deiparam Virginem, cuius ore nomen Saluatoris voluit mundo intimari, media-

media-

mediatricem nobis ad filium assignaret. Zelus imitandi in Christo humilitatem, Crucis amorem, mortificationis studium.

Phil. 2.

III. Voluit demum idem æternus Pater hoc sacrosanctum nomen filij sui incarnati super omne nomen sic glorificari, & honorari, vt in illo *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*, ad illum, velut primogenitum omnis creaturæ, qui se exinaniuerat & humiliauerat infra omnia, exaltandum super omnia, vtpote ex quo, per quem, & in quo sunt omnia; simulq; nos instrueret, electum quemque eò sublimius fore exaltandum in cœlis, quò profundius se humiliarit in terris. Gaudium de gloria Christi, cum desiderio eius humilitatem imitandi.

V. *De illo Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum,*

Ser. 15 in Cant.

MERITò nomen Iesu comparatur oleo effuso, de cœlo in Iudæam, indeq; in totum mundum diffuso, iuxta D. Bern. ob insignes eius spirituales effectus, corporalibus olei effectibus correspondentes: nam sicut oleum lucet, pascit, vngit; fouet ignem, nutrit carnem,

lenit